Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 125
Quelle:
Copyright:

Jacobi notulis ex utraque *Glossa* hinc inde adspersas. *Fol.* 41. p. 2. per errorem inchoata est *Prima ad Thessalonic.* post *Secundam ad Corinth.* sed loco suo integra recurrit. Prima *Job.* c. 5. Testimonium duplex sic conceptum est: *quia tres sunt qui testimonium dant in terra. spiritus, aqua et sanguis, et tres vnum sunt, et tres sunt qui testimonium dant in celo Pater verbum et spiritus et hij tres vnum sunt. Jacobi* Epistola ultima posita est; monetur tamen in calce: *Explicit epistola beati Jacobi Apostoli, Que in ordine aliarum epistolarum Canonicarum debet esse prior, ut patet in prologo huius epistole;* sunt enim Epistolis praefixa brevia Summaria. Ceterum exigui momenti Codex.

LVII. VI. E 24.

312 Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. 144. f. luculente scriptus, literisque initialibus quadratis picturatis decorus complectitur: I. *Divi Pauli Apostoli Epistolas* XIV. ita, ut Epistola *ad Coloss.* postponatur binis *ad Thessalonic.* et Epistolae *ad Hebr.* adtexta sit spuria *ad Laodicenses.* Praemittitur primo suppresso nomine *Praefatio generalis Hieronymi in omnes Pauli Epistolas* ita: *Incipit Prologus. Primum quaeritur quemadmodum post Euangelia quae Supplementum legis sunt* &c. Sequitur *specialis* ejusdem *in Epistolam ad Rom.* hic inscripta: *Item. De Romanis aliud Argumentum. Romani qui ex iudeis gentilibusque crediderant* &c. Demum subnectitur locus ille e *Comment. in Epist. ad Galat.* de quo ad *Cod.* LVIII. Epistolae ipsae non tantum utroque latere, sed inter ipsas etiam lineas stipantur expositionibus minuto charactere exaratis, e *Beda, Hrabano* et *Glossa Ordinaria* ut plurimum depromtis. Epistola *ad Rom.* secta est in Particulas LI. Binae *ad Corinthios* praeferunt Indicem *Capitulorum.* Prima quidem LXXII. altera XXVIII. Sub finem *Epist. ad Galat.* voci *Stigmata* recentior paullo manus inscripsit *alagiuuis ceican.* Praeter *Summaria* Epistolis praefixa, et in antiquioribus etiam Bibliorum editionibus obvia *Epistolae ad Hebr.* praemissus est *Prologus*, qui in *Bibliis glossatis* inscribitur *Argumentum*, et incipit: *In primis dicendum est quur apostolus paulus in hac epistola scribendo non seruauerit morem suum* &c. Ultima est *Epistola ad Laodicenses* absque ullis notis.

II. *fol.* 120. *Incipiunt Epistolae Canonicae. Feliciter. Incipit Prologus.* Idem *Hieronymi* qui praefixus est in *Bibl. glossat.* et infit: *Non ita ordo est apud Grecos* &c. Occurrunt et hic Glossae *Theotiscae:* integre. *kanzo.* quodammodo *ceddes licherouuis.* corrodendam *ce zanonne, ce chiuuanne.* falsarium *lugenare.* corruptorem *Zkntbrecherare.* Epistolae ipsae ordine recepto se consequuntur, praemissis cuilibet *capitulis*, aut, ut hic etiam adpellantur, *Brevibus.* Tituli et Clausulae omnium literis majusculis coloratis.